

263

nes pacis contemnere videremur, parendum voluntati eiusdem serenissimi domini regis Poloniae duximus. Miseramus interea ad dominationes vestras oratores nostros, qui hanc iniuriam nobis illatam apud ipsas edocerent, rogatasque nostro nomine haberent, ne Ferdinando, iniusto regni nostri impetitori contra nos suppetias ferrent, nosque iudicium eius causae quaecumque cum Ferdinando discordes haberet, vel dominationibus vestris adiudicantibus libenter velle subire declararent, deinde recta ad Caesarem maiestatem in Hispanias profisceretur, qui cum in illius ditionem pervenissent, contra ius omnium gentium, violati atque detenti, illuc quo missi erant, proficisci nequiverunt. Nos vero, neque hac tanta iniuria a recta ratione abducti ad constitutum diem, prout serenissimo domino nostro regi Poloniae placuerat legatos nostros Olomontium misimus, qui etsi omnes aequas condiciones acceptare potius quam hoc incendium in populo christiano excitare ex mandatis nostris erant parati. Cum tamen Ferdinandi oratores omnia iniqua proponerent, fuerunt coacti, re infecta, illinc ad nos redire. Sub iis interim induciis, Ferdinandus summa ope nisus fuit, plerosque primores regni nostri et illos praesertim, quos ob nostra beneficia fideliores nobis esse putabat partim prece partim precio et terroribus tentare, qui tot promissis, quae sine modo sine modestia iactabantur expugnati, nostrique beneficii ac sui multoties nobis prestiti iuramenti immemores, fidem fregerunt. Quorum perfidia et proditio suo tempore poenas dabit. Uti vero interdum, apud dominationes vestras animum nostrum testatum faciamus, cum id nobis per oratores non liceat, quod, iure omnium gentium barbaris etiam nationibus, licet, volumus has litteras nostras ad ipsas dare, ex quibus eadem cognoscant quam iusto bello Ferdinandus nobiscum certandum sumpserit, et quam magnis iniuriis ab eo lacessiti christianum sanguinem haecenus funderē recusaverimus. Nisi cum dominationes vestrae iuris habere aliquid existimant, qui iure agere semper recusaverit et illi defensionem populi christiani cordi esse putant, qui noctes diesque christianum sanguinem et sitit et fundit. Volens forlasse emendare turpes successus expeditionum Henrici octavi et avi Maximiliani, quas pro subiicienda sibi Hungaria susceperant. Quorum alterum et coronatum iam et diadema regni in manibus habentem Emericus patruus noster regni gubernator felicissime regno Hungariae expulit et coronam recuperavit. Utrumque autem Stephanus genitor noster, comes scepusiensis regni Hungariae

palatinus ac exercitus imperator auspiciis divi Ma-
thiae regis ex citeriori Austria propulit Vianamque
et ducatum Austriae felicissimo regi parere fecit.
Nosque, nondum adolescentiam egressi, Maximilianum Hungariae inferre arma conantem coegimus intra suos limites se continere. Hunc quoque hostem nostrum iamdiu, Deo duce, respicere fecissemus, si armis tantum et non proditiōibus certaret nobiscum, utique hanc iniuriam haecenus, ut potuimus patienter et aequo animo tulimus. Sed dominationes vestrae identidem animo revolvant, quam sit acerbum non nostrae solum, verum etiam mediocrius conditionis hominibus ex alto loco (iniuste praesertim) ad imum prolabi et ex regia ad privatam conditionem redigi, non abitramur profecto christianorum quemquam tanta praeditum patientia posse reperiri. Qui tot iniuriis provocatus unde posset auxilium sibi petendum non putaret, neque enim iniusta alia animi aegritudo hominum ad vindictam magis incitat. Protestamur igitur his litteris nostris nos et initio regni nostri et nunc omnes aequas condiciones subire causamque discordiae nostrae cuiusvis probi iudicis arbitrio potius fuisse paratos submittere, quam in christianum populum arma civilia sumere, apud dominationes vestras profitemur, cumque ea nobis parum profutura esse videamus, si quid quo nos ab huius inimici impetitione tueamur, attentaverimus etiam si ex nostra digladiatione respublica christiana aliquid detrimenti patietur. Dominationes vestras in theatro orbis terrae testes facimus eorum non nos, qui omnia extrema et experti et passi sumus, sed illum ipsum qui suo non contentus alienum regnum per fraudem et hominum perfidiam expugnandum venit, causam esse; sed dominationes vestras audivisse arbitramur, licet omnia per Ferdinandum, praeter prospera in Hungaria, aut scribi, aut nuntiari sint prohibita, et omnes viae ad alia regna saeptae et obsesae custodiantur. Hic bonus christianae libertatis assertor, quam bonam operam iactantiae suae in Hungaria navaverit, qui serenissimo ipsi domino Ludovico regi sororio et cognato suo extremo discrimini, se contra Caesarem turcarum exponenti in ipsis fere limitibus Austriae non militem, non machinas, non denique ullam subsidium quamvis magnis pulsatus precibus praestitit, inhians praetensae successioni in regnum Hungariae imo subsidium, quod tunc sacrum imperium regi Hungariae destinaverat, is bonus princeps in Italiam vastandam miserat, non tamen nos fratrem nostram tribus circiter milibus militum ex nostro patrimonio et alio apparatu bel-

264